Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-327039-p0001-4

D.F.V.P.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-327039-p0002-0

37

Q. D. B. V.

EXERCITATIONES

ad

Novum Testamentum Syriacum,

quas
indultu Amplissimi Senatus Philosophorum
in incluta

Salanâ,

Publicæ συμφιλολογήσων προσδιαλέξει
submittunt

M. JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS Jenensis,
&
MICHAEL Spieß VVeissenburgô Noricus.

ad d. III. Sept.

H. L. Q. C.

JENÆ
Litteris Caspari Freyschmieds/& Georgi Sengenwaldts.
Anno clɔ Iɔ CXLV.

Q. D. B. V.

ANnus nũc est ipse quartus, quòd Variantes N.T. Syriaci Lectiones ex antiquissimo Syriaco IV. Evangelistarum Cod. MS., in instructissimâ bibliotheca Academicâ Altdorffina, ceu insigne κειμήλιον suo qui adservatur merito, collegi. Illas sepositas hactenus cùm jam rursum perlustrare, & quibus in locis laudatus ille Codex editis libris melior sit deteriorve, observare, induxerim animum; observationes etiam illas, sive Exercitationes suasu & auctoritate magnorum aliquot ac eruditissimorum virorum, quibus vel quidquam denegare, summũ duco mihi nefas, publ. συμφιλολογούντων ܐܢܐܢܝܐ ‡ ܐܬܝܬܝܐ ‡ censuræ submittere, nõ operam me lusurum vel, ut Arabum habet proverbium, ضَرْبًا فِي حَدِيدٍ بَارِدٍ *i. ferrum frigidum me percussurum* confido, si quæstiones quasdam præliminares præmisero. memor scitissimæ Rabbinorum gnomæ, quæ בפא R. Jacobo adscribitur, & â Rambam de præparatione ad vitam æternam explicatur, : הָתְקֵן עַצְמָךְ בִּפְרוּזְדוֹר שֶׁתִּכָּנֵס לְטַרְקְלִין i. e. *præpara te in vestibulo, ut intrare possis in triclinium.* Esto igitur

Quæstio I.

Cujus aevi sit Paraphrasis N.T. Syrâ.

MArcum Evangelistam, D. Petri Discipulum & sectatorem, *non modo suum Evangelium*: (quod *Bellarminus* primitùs *Latinè* scriptum tradit, & *Baronius* A.C. 45. n. 41. rationibus quibusdam *ad idem adfirmandum, obstrictum se* fatetur, alijs Pontificiis contrà adfirmantibus, *extra controversiam penè esse, idem illud Græcâ linguâ fuisse scriptum*, & hanc *constantissimam apud omnes veteres auctores fuisse opinionem.*) *sed & cæteros omnes N. T. libros linguâ patriâ* h. e. *Galilæâ Syrave transtulisse*, Syros ex avitâ traditione credere, ex *Guilielmo Postello*, litteris hoc ei significante, monet docetq; nos *Guido Fabritius Boderianus*, Præfat. ad N. T. Syr. Non verò inclutus ille & πολυγλωττότατος Jctus *Joh. Albertus Widmanstadius*, quod per insignem memoriæ lapsum illi tribuit acerrimus Iesuita, *Adamus Contzen* quæst. 5. procem. super Comm. in 4. Evang. p. 9. Hæc ut ut sese habeant, prout ex *Postelli* relatione tradit *Fabritius*, nescio sanè, an inde statim sequatur, illam Paraphrasin Syram, quæ hodiè doctorum teritur manibus, à Syris *D. Marco* Evangelistæ adscribi, quod haut obscurè adserunt, ac confidenter scribunt (ex hâc unicâ, quod puto, *Postelli* relatione) Viri auctoritate & doctrinâ gravissimi. *Postellus* siquidem, quantum ex verbis ejus, à *Fabricio* adductis colligere ac perspicere licet, non expresse refert, Syros hanc, quam nunc possidemus, paraphrasin Syriacã *Marco* Evang. adtribuere, sed nudè adserit: *Syros ex avorum traditione adfirmare, Marcum cùm suum Evangelium, tum cæteros omnes N. T. libros linguâ patriâ h. e. Galilæâ Syrave transtulisse.* Firmat me in opinione isthâc *Vergerius*, qui lib. 3. contra Card. *Hosium* commemorat, *quòd quæsierit Mosen Meridinæum, quemnam putaret scripsisse linguâ Syrâ Novum Testam.*, (id nim., quod arte typographica in Europa hôc & seculo superiori miris modis multiplicatum est, ad quod & *Moses* ille *Meridinæus*, ex Mesopotamiâ Sacerdos, Romam Legatus s. orator fuit missus, ut

ut nim. Testamenti Syri volumen, prelo excusorio multiplicatum in Syriam transportaret) *ipsum verò respondisse, auctorem se ignorare.* Ignorasset, puto, nullus, si avita illa Syrorum traditio, de illâ, quæ jam in eruditorum manibus est, *Widmanstadi* curâ primitùs in Europâ typis excusa, N. T. paraphrasi ageret. Certè qui Syriaca verba, quæ etiamnum in textu Græco authentico leguntur, cum illo contulerit sermone, quo Syra N. T. paraphrasis constat, fateri cogetur, nõ exiguam inter hûc illaque esse diversitatem. Alia itaque Dialectus quamvis utraq; Syra) fuit tempestate Christi, in his terris visibiliter degentis & Apostolorum; alia tempore illo, quo Syra hæc N. T. paraphrasis fuit adornata, prout egregiè hoc ostendit egregius Philologus *Barthol. Meyerus*, cui addi potest *Corn. à Lapide* præf. ad Com. in ep. ad Ebr. Miratio hinc subit, esse, qui vel *ab Evangelistis, vel Apostolis Apostolicisve Viris* (intelligendo nim. per *viros Apostolicos* Apostolorum discipulos, qui immediatè eos audivere. Si enim per *viros Apostolicos* illos Ecclesiæ Doctores volunt intellectos, qui seculis aliquot ab Apostolorum tempestate remotis floruêre, calculum nostrum libentes nos illorum adjicimus sententiæ) *versionem hanc profectam esse*, autument. Quos, si nullæ rationes aliæ, quæ sanè suppetunt haut contemnêdæ, vel hæc unica ab illâ sentêtiâ dimovere propemodum deberet. Nec possumus nos satis etiam mirari, quî *D. Marcus*, quod Syros adserere, suprà ex *Postello* percepimus, omnes N. T. libros, atq; adeò Johannis etiam Evangelium, patriâ h. e. Syrâ lingua transferre potuerit, cùm, teste *Hieronymo* & *Eusebio*, *Marcus VIII. Neronis Anno ex humanis fuerit sublatus*, (rectè hîc quoque *Baronius Dorotheum Tyrium* arguit erroris, *sub Trajano D. Marcum martyrium subiisse*, scribentem) *Johannes* verò ὁ τῦ χριστῦ ἀγαπητὸς, jam senex, occasione enatarum *Cerinthi* & *Ebionis* hæresium, post reditum ab exilio, Evangelium suum rogantibus Asiæ Episcopis, *Coccejo Nervâ* Imperij habenas moderante, & sic triginta propè annis post *Marci* obitum, scripserit: sicuti testantur gravissimi auctores, *Athanasius*, *Hieronymus*, *Epiphanius*, alij, quos meritò sequuntur pleriq; Chronologi recentiores & S. S. Interpp. vid. *Helvicus* Theatr. Hist. *Alstedius*, *Baroni*9

A. C 99. n. 2. Bonfrerius adpend. ad C. VII. præloq. in S.S. Nec tanti apud nos h. l. est auctoritas Arabis N. T. Interpretis, *30. annis post adscensionẽ Christi Johannẽ Evangelium suum scripsisse*, adserentis. Sed de re hac alibi pluribus. Dum verò nos Syriacam N. T. Paraphrasin ab Evangelistarum, Apostolorum, Apostolicorũq; virorum ævo removemus, nolumus inde aliquis cõcludat, ac si nimis illam habeamus recentem, atq; adeò illorum, licet Auctorum gravissimorum sententiæ adstipulemur, qui *ex Vulgata versione ortum eam habere*, putant. Id quidem non existimamus, aliudque nobis persuadent quamplurima dictæ paraphraseos Syriacæ loca, ubi Græcum ea textum secuta, â Vulgato facit divortium, econtra quoq; ubi Vulgatus textui Græco insistit, illa ab hoc paullò est alienior. quemadmodũ hoc jampridem â magno *Casaubono* & CL. nostro *Dilherro* observatum, ex iis etiam, quæ posthac â nobis in Exercitationibus hisce proferentur, evadet clarissimum. Nos proinde, sicuti Paraphrasin hanc s. interpretationem N.T. Syram nec Græco textui, quo ferè collimare videtur insignis Sc. S. Commentator Pontificius, *Franc. Lucas Brugensis* (â quo dum *Jacobus Bonfrerius* præloq. in Script S. p. 70. discedit, & rectè quidem, minùs rectè colligit; *Verisimilius est*, inquiens, *hanc Editionem* (V. S.) *tempore Apostolorum posteriorem esse, cujus auctor incertus sit, ejusq; auctoritatem inferiorem esse auctoritate Latinæ nostræ editionis, vel etiam Græci textus.* Hæc nim. ultima est absurdæ Jesuitarum quamplurium sententiæ, quâ vulgatam versionem authenticam esse tuentur, analysis, ut majoris eandem auctoritatis esse tradant, tradere certè cogantur, quàm textum Græcum, â Scriptoribus Θεοπνεύστοις καὶ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένοις, Ipsorum pontificiorum testimonio, si tm. Evang. Matthæi, Marci, itemq; Epistolam ad Romanos exceperis, quæ scripta, quorundam saltim sententiâ, aliâ lingua primitùs ab Auctoribus sactis traduntur concepta, profectum.) æquiparamus; nec ad Antiochenam Ecclesiam primùm nascentem, quod *Bonavent. Corn. Bertramus* præf. in Comp. Ling. Ebr. & Aram. cum eoq; *Alstedius* lib. 2. præcogn. c. 113. non obscurè fa-

facere videntur, referimus, multò minùs authenticam pronunciamus: ita quoque adfirmare nondum audemus, ex vulgatâ, tot errorum convictâ, Syram hanc versionem esse enatam. Id verò haut veremur cum *Tremellio* adserere, quòd majori ex parte è Græco illa archetypo fidelissimè sit expressa: nec differi etiam possum⁹, solidissimis nos Viri solidè docti, *Johannes Rainoldi* Angli rationibus adductos, fermè putare, Syram N. T. versionem tertio vel quarto jam tum seculo extitisse. Et licet tituli anniversariarum Lectionũ in dies Dominicos & festos, aliaq;, quæ cum Romanensibus Ritibus novitatem quandam redolent, diversum alicui videantur suadere, nobis tamen antiquitati ejus hæc talia nihil demere, exinde est persuasum, quòd ipso Guidone, cui aliàs non parum hac in re Pontificii tribuunt, fatente, *interjectis nonnullis seculis â Patriarchis Alexandrinis capita istis sectionibus fuerint distincta, titulique*, quibus mirè sibi R. E. Pontificuli placent, & in dictâ nunc paraphrasi leguntur, additi. Si etiam, quod expressè habet Iesuita *Gretserus*, *S. Antonii & sociorum ejus memoria posterioribus demum temporibus ad religiosum cultum, quo Christiani Sanctos venerabantur, fuit adjecta*, quid obstat, quò minùs idem de alijs, Pontificiam quæ redolent idololatriam, quis possit adfirmare? Accedit, quorundam sententiâ, quod Clarissimus *Fr. Junius* Animadv. in *Bellarm.* controv. p. 449. testatur, *in vetustissimis exemplaribus ne apicem quidem istarum rerum comparere, in recentioribus quoq; multis adscriptas esse additiones istas ad finem librorum, idq; alienâ manu.* Sed cùm laudatus Junius non addat, ubi vetustissima illa exemplaria habeantur, (quod enim magnus quidam vir scribit; *annotare Junium, in Heidelbergensi bibliothecâ tale esse antiquissimum exemplar, in quo adnotationes de festis manu recentiore in margine sint adscriptæ*, fateor in Junii Operibus invenire me id non potuisse) id quod non immeritò urget Iesuita *Gretserus*; Codex insuper Altdorffinus, cujus antiquitatem ipsa ejus inspectio prodit, proindeq; â Cons. D. *Fetzero*, qui Damasci â Patre *Michaele Damascino Maronitâ* illum emtum Bibliothecæ Altdorffinæ legavit, meritò suo antiquâ Syr. ling. & litt er exaratº Codex inscriptº, illas Capitũ distinctiones ac titulos manu

æquè

æquè antiquâ, quâ textus ipse scriptus, rubro colore eidem insertos vel additos agnoscat, nolim ego temerè hîc *Junio*, salvâ tamen tanti viri auctoritate, adhibere fidem. De *Vergerl* v. adsertione, quando *à Mose Merid. audivisse* se testatur, *Widmanstadium præter Evangelium Syriacâ linguâ scriptum, habuisse aliquot foliæ etiam Syriacè, sed quæ ipse Moses fateretur, non fuisse multorum annorum. Et in illis fuisse Indicem, qualem Papistæ solent adfigere editionibus N. T., quodnam fragmentum legi debeat in die dedicationis Templi &c.* judicent alii, annon odio personæ partiumq; studio â *Vergerio* hæc prolata. Nos, quibus veritas unicè est cordi, quique jampridem, οὐδὲν ἄπιστον πρακτέον τοῦ νικᾶν ἕνεκεν è *Luciano* didicimus, *Placentiam* præter vecti, *Veronam* rectà tendentes dicimus, ex his *Mosis Meridinæi* verbis, si modò illius sunt, quæ ipsi tribuit Vergerius, colligi non posse firmiter, capitum sectiones titulosq; textui quoq; non fuisse insertos, cùm antiqua scriptura, quâ tũ in editione Viennensi, tum Boderianâ in Op. Regio tituli hi exhibentur, illorum vetustatem non obscurè arguere videatur. Nec quicquam inde, nostrâ quidem sententiâ, Pontificiorum ritibus, contra vel præter Scripturam S. quod alibi â nostratibus Theologis ostenditur, & ab hâc Cathedrâ alienum, excogitatis accedit roboris vel præsidii. Concedamus enim, Ecclesiam Syram aliquot post adscensionem Domini seculis, plus enim tituli hi, N. T. Syro inserti non probant, determinasse certa ac statuta ad jejunia tempora, festos quosdam dies memoriæ Christi & sanctorum destinasse, quosdam etiam templorum dedicationi consecrasse &c. an igitur inde licet concludere, Ergò ab Apostolis Apostolicisve viris ritus hi, & quidem sub absolutâ quâdam necessitate, quique sine salutis jacturâ ignorari, vel intermitti nequeant, in Ecclesiam sunt invecti & introducti? Nequaquam! Arbitramur v. titulos istos, post adornatam jam versionem Syriacam à Patribus Alexandrinis, εὐταξίας καὶ εὐσχημοσύνης ἕνεκα, ritus quosdam, liberè servandos indicantes, fuisse additos. Quæ sententia nec Syræ versionis antiquitati quicquam derogat, nec Pontificiorum traditiones multùm quoque roborat. Sed hæc omnia, quæcũque pro difficili hâc quæstione solvendâ liberè â nobis allata, libero etiam aliorũ judicio ac censuræ meritò lubenterque submittimus. Pergimus ad

Quæ-

QUÆSTIONEM II.

Quis Syram hanc N. T. paraphrasin primus in Latinam transtulerit Linguam.

LAudem hanc habeant Jureconsulti, per eos quòd Orientalium Linguarum studium in Germaniam nostram, imò universâ penè Europam si non introductum, mirè tamen auctũ. Manet enim ac manebit, quãdiu lingg. Orientaliũ vigor, *Johanni Reuchlino* (qui Græco nomine *Capnio* dictus) *Phorcensi Sueve* J. U. D. & *Maximiliani* Imperatoris ac *Eberhardi* I. Ducis Würtenbergensis Consiliario, totiusq; Sueviæ Triumviro, gloria maxima, *primus quòd Christianorum*, teste CLmo *Buxtorfio*, post *Hieronymi* tempora fuerit, qui Ebraicum studium inter Christianos illustrarunt ac propagarunt. *Theseus Ambrosius* ex *Albonesi* Comitibus, J. U. D. *Papiensis*, tantos in Syriacâ Linguâ, cujus præcepta ab ipsis Syris *Acurio Josepho* Sacerdote, & *Mose Monacho* Diacono, itemq; *Eliâ Hypodiacono* hauserat, fecerat progressus, ut Syri quoq; ejus ingenium & acrem præsentemq; in eo labore animum vehementer admirarentur. Quid v. in alijs Linguis Orientalibus idem præstiterit, luculenter docet *Introductio* Ejusdem *in Linguam Chaldæam, Syriacam, Armeniacam ac decem alias Linguas, characttere differentes.* Quid nostrâ etiamnum ætate JCti in Linguarum Orientalium salute promovenda præstiterint & præstent, non opus esse arbitror oratione prolixâ. Loquuntur id nimis erudita *Grotii, Salmasii, Heinsii, Mornæi, Seldeni, Cunæi* &c., omnium Ictorum gravissimorum ac Philologorũ excellentissimorum scripta. Ut taceam incomparabiles viros Ictos, D. D. Heinricum Gunther um Platnerum & Johannem Cammannum, aliosq;, quos Lingg. Orientalium non solùm Mæcenates egregios, sed & iisdem insigniter imbutos novimus. nunc verò, ut *Plinius* meus alicubi loquitur, partim *modestia eorum*; partim gravissima Reipubl. negotia subtrahunt eosdem famæ. Quorũ tamẽ Imagines tum demum sequaces lam-

bent hederæ, quorumq; memoria tum demum vivet florebitq; atq; adeò *latiùs in memoria hominum & sermone versabitur, quando ab oculis illi hominum recesserint*, ut idem nitidissimus scriptor habet. Sed ad *Theseum* revertendum. Hujus pijs precibus ac obtestatione apud *Johannem Albertum Widmanstadium*, Jctum & *Ferdinandi* in Austriâ Orientali Cancellarium, ne c non propriâ quoq; laudibus digni immortalibus *Widmanstadi* cupiditate & industriâ summâ primùm in Germania, adeoque totâ Europâ Syriaca N.T. paraphrasis adspexit lucem, typis quidem admodùm minutis, ast sat elegantibus. Pollicitus quoque est laudatus πολυγλωσσοτάτος Jctus *Jacobo Jonæ*, summæ etiam in ἀνατολικογλωσσογνώσει eruditionis viro, Icto, & prædicti *Ferdinandi* Vice-Cancellario, laudatæ hujus paraphraseos translationem in characteres Ebraicos, quam exhibuisset quoque, nisi maxima tanti viri negotia prohibuissent illud, & mors tandem, ceu dirus nimis Tribunus interveniens omnia consilia ac cogitata intervertisset. Nec Christianus tamen orbis, per duodecim licet annos integros translatione hâc & versione in Linguam Latinam caruerit, carere eâdem debuit prorsus. Inventi enim sunt Viri Linguæ Syriacæ peritissimi, qui opus hoc forti animo ac constanti sunt adgressi, luciq; etiam dedêre. Sicuti verò *hominum natura laudis semper avida est ac gloriæ*: ita quoque tum Pôtificios, tum Calvinianos nonnullos, *suæ quòd religionis homo primùm Latinam Syræ paraphraseos versionem adornarit*, inter se videmus decertasse. Omnium quidem prima lucem adspexit *versio Tremellii*, quippe quæ A. Æ. Dionys. cIↃ IↃ LXIX. typis *Henrici Stephani* prodiit, unà cum transpositione litterarum Syriacarum in characteres Ebræos, anno MD.LXV. ut scribit ipse, â *Tremellio* adornata. Tribus post hanc annis, nim. N. C. M. D. LXXI. luci iterum *Latinam* N.T. Syriaci versionem, occasione *Operis Regi* commisit *Guido Fabritius Boderianus ê Falesia Normanus*, qui in Præf. a Lectorem meminit, *quòd in studio hoc incredibilibus exant latis laboribus, adeò ut bis in morbum summo cum vitæ discrimine inciderit, octodecim mensium spatio, anno nim.* MDLXVII. Novi Test. Syr. in sermonẽ Latinum versionem absolverit. Manere potuisset sua cuiq;, quam promeruerant

rant ambo, laus & industriæ sacræ gloria, nisi *Gilbertus Genebrardus* Theologus Parisiensis, divinarum Ebraicarumq; litterarum Professor regius, *Tremellio* non solùm laudem translationis N. T. S. Latinæ suffurari, sed plagii etiam commissi, quasi versionem *Guidonis Fabritii* surripuisset, proq; sua venditasset, accusare fuisset ausus. Hoc enim meritò dolenter ferentes quidam Calviniani, inprimis eruditissimus *Rainoldus*, *Tremellium* adficto hoc, ut videtur, crimine liberare, *Fabritiumq;* idem illud plagium, *Tremellii* versionem nimis sequendo, & tanquam suam edendo, perpetrasse, probare fuere conati. *Roderianis fratribus Tremellium versione suâ præluxisse*, scribit quoq; *Fr. Junius* animadv. in *Bellarm.* controv. lib. II Cap. 4. n. 5. quod verum esse, non levis alicui potestesse indicina, quòd *Gretserus*, sat aliàs in Junio refellendo sedulus, nihil ad illud regessit. Magis equidem crediderim, *Fabritium* potiùs *Tremellium*, quàm hunc illum fuisse secutum, cùm *Fabritii* versio anno MDLXXI. Tremellij verò MDLXIX. & sic tribus annis ante illam lucē adspexerit. *Variis* etiam hoc ipsum *conjecturis probari posse*, scribit *Rainoldus* prælect. de libris Apocryphis CXVI. p. 1464. unicam tn. saltim cit. loco adducit. Dicit *in editione illa* (sc. N. T. Syriaci versione Latinâ, quæ Operi Regio inserta) *reddi* שאול (scribendum puto שיול) Syriacè enim est) *sepulcrum, ubi ipsi* (Pontificii) *contendunt, reddendum esse infernum. Usq; adeò, ut Pererius dicat, impiè & absurdè in Regiis Bibliis* שאול *redditum esse Sepulcrum.* Locus quem Rainoldus indigitat, est I. Petri, III, 19. in aliis enim locis vocem non ita reddidit Fabritius, ut ipse mirer, cur hoc loco ita transtulerit. An verò ex hoc unico loco conjectura sumi possit, Tremellii versionem nimis esse sequutum Fabritium, in ipso disputationis actu dispiciem°. Reliquas quod adtinet paraphraseos Syriacæ versiones Latinas, illas vel *Guidonis* esse, vel *Tremellii*, auctores consentiunt ferè omnes: nisi quòd *Antonius Possevinus* è S. J. Adparatûs Sacri

Tom.

Tom. II. p. 452. in voce TESTAMENTI, Syriacæ paraphraseos versionem Latinam tum *Ariæ Montano*, tum *Christophoro Plantino*, typographo Regio adscribere, planè videatur. Dicit enim, *N.T. Syriacam editionem Aria Montano Interprete â Christophoro Plantino Latinè redditam prodiisse.* Quod ipsum si de illâ versione, quæ Operi Regio adjuncta intelligit, videat, annon contradicat illis, quæ Tom. I. Adp. S. p. 695. in voce Guido habet. Nescioq; ego, an *Possevinus* adsertione hâc magis in *Ariam Montanum* itemq; *Plantinum* sit benignus, quàm in *Guidonem* injurius. Puto tamen, quæ *Jacobus Tirinus Antverpianus* è S. J. in Indice Auctorum, commentarijs biblicis adnexo, de Bibliis Tigurinis dicit, *non esse ea Stephani, quòd nisi typographus ille fuerit*, multò meliùs, certè æquè benè ac pari jure de hâc socienni sui ex parte sententiâ posse dici. Laude verò omninò digna prædicti *Tirini* adversus *Tremellium* benignitas, quæ & in Possevino Adp. S. Tom. II. p. 509. adparet: tribuunt enim *Tremellio*, quòd N. T. è Syro in Latinum transtulerit. Quæ ingenua *Tirini* ac *Possevini* Jesuitarum, quod genus hominum omnia aliàs magna & egregia facta sibi tribuit, confessio, adversus *Genebrardi* calumniam probè â Calvinianis debet notari. Licet enim non in totum adprobemus Arabum illud in Fabulis Locmanni:

أَنَّ مَا يُزْكِي ٱلْإِنْسَانُ بِشَهَادَةِ
ٱلْعَقْلِ يَبْتَهِ ع cùm sciamus & hanc eorundem elegantissimam gnomam: لَا تَنْظُرْ إِلَى مَنْ قَالَ
بَلْ ٱنْظُرْ إِلَى مَا قَالَ ع *ne respice ad eum, qui dixit: sed respice ad id, quod dixit.* Nescimus tamen, quî testimonium veritati ab hoste quoq; datum maximè gratum sit & acceptum. Sed satis!



ܠܡܫܟܚܘܬܐ ܕܐܟܐ ܘܟܪܐ ܘܪܘܚܐ
ܕܩܘܕܫܐ ܥܕܝ ܐܠܗܐ ܀

VD A 6418

ULB Halle 3
002 920 379

VD 17

Retro

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-327039-p0015-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-327039-p0016-8

37

Q. D. B. V.

EXERCITATIONES

ad

Novum Testamentum Syriacum,

quas

indultu Amplissimi Senatus Philosophorum
in incluta

Salanâ,

Publicæ συμφιλολογήσων περοσδιαλέξει
submittunt

M. JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS Jenensis,

&

MICHAEL Spieß VVeissenburgô Noricus.

ad d. III. Sept.

H. L. Q. C.

JENÆ

Litteris Caspari Freyschmieds/& Georgi Sengenwaldts.

Anno clɔ Iɔ CXLV.